

quando apparet factum esse ex libidine, tunc est mixti fori, & memini, hoc delictum in militibus fuisse à seculari Magistratu punitum.

§. VI.

De offendentibus Ecclesias
&c.

137. **H**Oc puniri posse & defacto puniri in foro Ecclesiastico manifestum est. Possit etiam & debere hos puniri in foro seculari constat ex lege 10. cum auth. seq. C. de Episc. & Clericis. [Si quis in hoc genus sacrilegii prorupit, ut in Ecclesiis Catholicis irruens sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui locoque aliquid importet injuria, quod geritur, à Provinciae Rectoribus animadvertatur, atque ita provincia moderator Sacerdotum & Catholicae Ecclesiae ministrorum, loci quoque ipsius & divini cultus injuriam, capitali in convictos seu confessos reos sententia noverit vindicandum: nec expectet, ut Episcopus injuria propria ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit. Sitque cunctis laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris injurias, veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reis ultionem mereri.]

§. VII.

De Assassinatione.

138. **H**Oc crimen puniri Jure Civili, est per se manifestum. Quod etiam puniatur in foro Ecclesiastico, patet ex cap. 1. de Homicidio in 6. quod alibi relatum est. Atque ex dictis hactenus poterit de quibusdam aliis iudicari, quae proinde DD. non solent referre.



§. I.

Refertur Bulla Gregorii
XIV.

Cum aliis nonnulli Praedecessores nostri, & praesertim felix, record. Sixtus Papa V. necnon

CONTROVERSIA IX.

De modo declinandi Forum
per fugam ad Ecclesiam.

SUMMARIUM.

Refertur Bulla Gregorii XIV. Quo Jure sit introducta immunitas fugientium ad locum sacrum. 140.
An sit Jure divini. 141. & seq.
Canonice Constitutionibus Jus Civile suffragatur. 143.
An haec Immunitas sit stricta vel ampla interpretationis. 144.
Sufficit Ecclesiam esse auctoritate Episcopi erectam, etsi necdam consecratam. 145.
An debeam ibi fuisse acta celebrata & Missa. 146.
An debeat Ecclesia esse perfecta constructa & absoluta. 147.
An competat tempore Interdicti, aut quo Polluta est. 148.
Ad quem ambitum se extendat. 149.
An apprehendens Ecclesiae portae ansum, gaudeat immunitate. 150.
Item an constitutus supra regulam Ecclesiae. 151.
Quoties possit reus semel receptus progredi ob naturae necessitatem. 152.
Immunitate gaudent caetera, etiam non consecrata. 153.
Eadem gaudent Conventus Religiosorum, secundum omnia, quae sunt infra sepra. 154.
Item Episcopi palatium. 155. Vbi vide limitationes.
Quid si reus confugiat ad Sacerdotem ferentem Sacram Hostiam. 156.
139. **P**RO celeberrima hac Quaestione expedienda, praemittenda est Bulla Gregorii XIV. edita 28. Maji Anno 1591. in qua tanquam Jure novissimo discretè proponuntur, quae circa confugientes ad Ecclesiam observanda sunt.

non Pius etiam V. sancto Zelo ducti, diversas facultates & indulgentias extrahendi etiam in casibus quibusdam à Jure non permissis, ex Ecclesiis criminosis, & delinquentes, compluribus secularibus Principibus, eorumque curiis, & Magistratibus sub variis modis & formis concesserint, prout in illis plenius continentur. Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem & differentiam hujusmodi indulgentiarum, tum quia plerique eorundem Principum Ministri, ex hoc ipso illa diversimodè, etiam latius quam par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti ceperunt, subortam esse non medioerem in aliquibus locis, libertatis & immunitatis Ecclesiasticae perturbationem & confusionem: alibi verò ne ipsos quidem laicos indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quòd populus inveterata erga Ecclesias reverentia devotis & assuetis, scandali potius quam quietis occasione praeberent. Illud etiam ablutum sapenemò fecutum est, ut infima interdum conditionis laici, non modò Juris, sed etiam litterarum penitus ignari & impeniti, dum quasi Potestates & Ministri Curiae secularis in aliquo Castro aut Oppidulo Jurisdictionem exercebant, facultatum & indulgentiarum hujusmodi limites longè excesserint, eaque suo arbitratu in sensum minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos derolletent, & illorum praetextu quidquid sibi in mentem veniret attentare praesumerent, in grave Jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticae praesudicium, locorum & personarum divino cultui dicatarum contemptum, ipsius divinae Majestatis offensam, & scandalum plurimò. Quare pro commissio nobis à Domino Pastoralis officii munere, praedictis absurdis & scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformè regulam reducere, omnemque dubitandam ac perpetam interpretandi occasionem dilucidè declaratione submovere, abusus tollere, & ne Ecclesiastica Jura planè conculcentur, & negligantur, opportunè providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus Praedecessor noster, iisdem de causis motus statuere decreverat, licet morte praeventus hoc adimplere nequiverit, ita tamen, ut quando praesens temporum calamitas, & nimia, quae jam invaluit perversorum hominum malitia, id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda eorum facinora, ultra id quod praesens illa Majorum nostrorum disciplina, & veterum Sacrorum Canonum norma praescripserat in quibusdam casibus, congruè moderatione adhibita, permitamus. Hac itaque nostra perpetuò valitura Constitutione, omnia, & quaecunque privilegia, indulgentias & gratias, tam praedictum Sixtum ac Pium V. quam alios quoscunque nostros Praedecessores, aut nosmetipsos, Sedemque Apostolicam, ejusque Legatos, super

abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, Domibus regularibus, & secularibus, locisve Sacris aut Religiosis, aliasque in casibus Jure permissis, hominibus certorum tunc expressorum vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis deceptoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace & quiete publica, & ex causis urgentissimis ac necessitatibus, & equipollentibus casibus in Jure expressis, atque ex paritate, identitate aut Majoritate rationis extensis, perpetuò vel ad certum nondum elapsum tempus quomodolibet concessa, etiam iteratis ac multiplicatis vicibus approbata & innovata ac usui recepta, litterasque Apostolicas sub plumbo aut in forma Brevis, seu alias quomodocunque desuper concessas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac ad verbum insertis, sublatà penitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimus, & moderamus, ut Laicis ad Ecclesias, locaque sacra & religiosa praedicta confugientibus, si fuerint publici Latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, & publicas vias obfident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur: aut depopulatores agrorum, quive homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumve Cemeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassinii, vel haereticis aut laesae Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei; immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed universis & singularibus Venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, caeterisque Ecclesiarum & Monasteriorum Praelatis, tam secularibus, quam ejusvis Ordinis Regularibus, districtè praecipiendo mandamus, & praecipimus, ut Laicos in casibus praedictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supra dicta sacra seu religiosa respectivè confugientes, & in eis le recipientes atque morantes, qui praedicta delicta, eorumque aliquod iudicio suo commississe videbantur, quando à Curia seculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris & Officialibus Curiae secularis absque Irregularitatis nota, aut alicujus Censura Ecclesiastica incursum, tradi & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet & faciat. Ne autem Curia secularis praedicta Ministri facultate illius per se & propria auctoritate extrahendi & abducendi sibi olim, ut praefertur attributa, & per praesentes revocata abutantur, Volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia secularis, ejusque Judices & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, Locisque sacris praedictis Latentem aliquem, ut praefertur delinquentem, in nullo ex casibus supra dictis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu Persona

Ecclesiastica ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos & non alios Episcopis inferiores, etiam alii Ordinarii sunt, aut nullius Diocesis, aut Conservatores ab hac Sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrite autem casu in loco exempto, & nullius diocesis, tunc ad Episcopum viciniorum devolvatur hæc cognitio, & non ad alios; capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dicta persona Ecclesiastica requisita, illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut captivæ & carcerationi intervenire & assistere recusant, tuncque reverentia Ecclesiæ & locis sacris debita memores prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit scandalo, & tumultu extrahere curent. Quodque delinquentes Laici prædicti, postquam, ut præfertur, ab Ecclesiis locisque extracti & capti fuerint, ad carceres Curia Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto & firmo carceri, ac opportuna custodia datâ, illis, si opus fuerit, per curiam seculari detineri debeant, nec inde extrahi, Curiaque seculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint: tuncque demum de mandato Episcopi per Iudicem Ecclesiasticum curia seculari, quacunque appellatione seposita consignentur. De crimine verò hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea curia secularis se quoquo modo intromittat. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas seculares, aut cujusvis Ordinis vel militiæ, etiam S. Joannis Hierosolymitani regulares, quoquo modo etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos Juris per præsentem reducimur, procedant, aut se intromittant, illasvè ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, locisque sacris aut religiosis, etiam in casibus in hac Constitutione expressis, extrahere, abducere, capere carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, aliâ quàm de jure & per privilegia eisdem Ordinibus aut militiis concessa permittitur, quomodolibet præsumant. Quodsi quis quancunque dignitate & auctoritate præditus, præmissorum, aut alio quovis prætextu quidquam præter aut contra hujus nostre Constitutionis tenorem attentare præsumperit, declaramus eum ipso facto Censuras & pœnas easdem incurtere, quæ contra libertatis, Juris & Immunitatis Ecclesiasticæ violatores, per sacros Canones, & Conciliorum generalium nostrorumque Prædecessorum constitutiones sunt promulgata. Sicque per quoscunque Iudices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales,

sublatâ eis, et eorum cuilibet quâvis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quavis causa & instantia iudicari & definiti debere; nec non iterum decernimus & inane, si secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis tam Sixti & Pii V. quam aliorum quorumcumque Prædecessorum nostrorum litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus, quibusve personis, etiam Imperiali, Regiâ, Ducali, aut aliâ quavis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebus publicis, Dominis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris & locis, eorumve Curis, Parliamentis, Senatibus, Conciliis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut Præsentibus, Proregibus Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, Postestariis, aliisque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam gravioribus & Urgentioribus causis, tam illorum intuitu & contemplatione, sive ad eorum preces & instantiam, quam etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti & legis perpetua, etiam in vim contractus, & Fratrum nostrorum consilio, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cû quibusvis præservativis, restitutivis, mentis attestativis, derogatoriorum derogatoriis, aliisque validissimis & efficacissimis & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam inibi caveatur expressè, quod illis, nisi sub certis modis & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad quorum favorem concessa fuerint, derogari possit, & aliter factæ derogationes nullius sint roboris vel momenti, & aliâs quomodolibet concessis etiam sæpius approbatis & innovatis. Quæ omnia & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo advenserint, aut plures, quàm superius expressos casus continent, auctoritate & tenore præmissis omnino ac perpetuo tollimus & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis quoad superius descripta duntaxat reducimur, & nolumus, cuiquam de cætero suffragari, & quâlibet aliâ dictæ Sedis indulgentiâ generali vel speciali per que præsentibus non expressa vel ad verbum non inserta, effectus earum quomodolibet valeat impediri. Ut autem præsentis litteræ ad omnium noticiam facillius deducantur, &c.

S. II.

Quo Iure hæc Immunitas sit
introducenda.

140. Quod saltem Jure Ecclesiastico sit introducta, constat non solum ex Constitutione jam relata, verum etiam ex antiquis Canonibus, qui habentur in ca. 17. q. 4. can. 8. qui est S. Augustini. ibi dicitur. *Ecclesia igitur illesum revoca, quem vir irreligiosissimus rapuisti.* Et clarius can. 35. [Definit S. Concilium Tolentanum, ut nullus audeat confugiens ad Ecclesiam vel residentes inde abstrahere, aut quodcumque nocivitatibus vel damni, seu spoliis residentibus in loco sancto inferre; sed esse potius his ipsis, qui Ecclesiam petunt, per omnia licitum, in 30. passibus ab Ecclesia Januis progredi, in quibus 30. passibus uniuscujusque Ecclesiæ in toto circuitu reverentia defendatur, sic tamen, ut hi, qui ad eam confugiunt, in extraneis vel longè separatis ab Ecclesia domibus nullo modo ascendant, sed in hoc 30. passuum numero absque domorum extraneorum receptaculo progrediendi aditum obtinebunt, qualiter ad requisitæ naturæ usû debitis exeant locis, & nullo teneantur eventum necessitudinis, qui dominicis se defendendos commiserint clausuris &c.] Innocentius III. in cap. 6. de Immunit. Eccles. ibi. [Fugiens ad Ecclesiam aut liber existit, aut servus. Si liber, quantumcumque gravis maleficia perpetraverit, non est violentè ab Ecclesia extrahendus; nec inde damnari debet ad mortem vel ad penam. Sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra & vitam. Super hoc tamen, quod inique facit, est aliâs legitime puniendus: & hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentat, vel publicas stratas obsidet aggressionis insidiis, ab Ecclesia extrahi potest, impunitè non præstita secundum canonicas sanctiones.]

141. Controversia celebris est, an hæc Immunitas sit Juris Divini. Similem controversiam tractavimus to. I. An Privilegium fori Clericorum sit Juris Divini. In præsentis questione Affirmativam tenent aliis relatis Card. Tuschus to. 4. Concl. 56. n. 1. & alibi, Lupus in tr. de libert. Eccles. p. 2. q. 2. Negativa est communissima, quam aliis relatis tenent Covarr. lib. 2. var. res. c. 20. n. 1. Decianus lib. 6. c. 25. n. 2. (neque distinctio, quam adhibet, aliud te ipsa vult, dum ait, posse dici, esse Juris divini, si per Jus divinum intelligamus legalia & ceremonialia præcepta, Moyli à Deo data; non tamen ac-

ciendo Jus divinum propriè, hoc est, pro præceptis Decalogi.) Ambrosinus c. 1. cum seqq. Bonacina de immunit. Eccles. §. 1. Castro Palao p. 5. Ratio hujus sententiæ est efficax. Nâ vel loquuntur ad versarii de Jure divino antiqui Testamenti, vel novi. Si novi: nullum possunt asserere textum, quo Christus hoc constituerit. Si antiqui: Illud fuit privilegium concessum templo illius legis, privilegium autem illud non constat esse extensum ad nostra templa. Itaque loquendo de Jure divino positivo, non est fundata sententia affirmans. Aque parum potest esse vera de Jure divino naturali. Nam, ut optime discurrit P. Franc. Suarez to. 1. lib. 3. de Relig. c. 8. n. 9. non est per se, & intrinsicè malum, malefactorum de templo extrahere, alioquin in nullo casu liceret, quod repugnat Juribus adductis. Ergo, nisi fiat formalis intentio in contemptum templi, non est ex vi operis irreverentia aut injuria templi, adeoque non ideo prohibetur, quæ ex se malum est, sed ideo malum est, & in tantum, in quantum prohibetur. Ad summum ergo dicitur ratio naturalis, esse consentaneum dignitati illius loci, ut ei hoc privilegium concedatur.

142. Quodsi quis diceret, ex perpetua traditione colligi & haberi, quod Christus hæc Immunitatem instituerit, facile refutabitur, tum quia hæc traditio gratis confingitur, quandoquidem DD. non solum eam nunquam agnoverunt, verum etiam contrarium constanter asseruerunt, & ipsi Canones relati attribuit hæc Immunitatem Constitutioni Conciliorum, tum per Regulam generalem, quod Christus (ut discurrit Suarez) nullas leges ceremoniales Ecclesiæ suæ tribuerit, præter Substantiales ritus Sacrificii & Sacramentorum: reliquias ceremonias & Sacra per suos Vicarios disponenda reliquit, ut est Ecclesiarum benedictio, consecratio, & denique modus hujus Immunitatis, ejusque determinatio ad loca, personas, delicta, effectus &c. ad Ecclesiam spectare patet ex Juribus allatis. Non aliter ergo potest dici esse Juris divini, nisi remotè, & radicaliter, quatenus data est Ecclesiæ potestas eam instituti.

Quam congruam autem ratione hæc Immunitas confingentium ad Ecclesiis instituta sit, mirâ eruditione ex profanis historiis aequè ac ex S. Scriptura demonstrat Covarruvias c. 20. to. 2. var. res. concl. 3. & Decianus c. 15. n. 3.

143. Observandum denique est, quod quamvis constitutio hujus Immunitatis propriè ad Ecclesiam spectet, eidem tamen Jus Civile semper fuerit suffragatum, unde in Codice extat titulus 12. lib. 1. De his qui ad Ecclesiam confugiunt, vel ibi exclamant, & ne quis ab ecclesia extrahatur. Deinde in Codic. Toler. 12. c. 10. legitur

gitur. Pro his, qui qualibet metu vel tenore Ecclesiam appetunt, consensiente patre gloriosissimo Domino nostro Eringio Rege, hoc sanctum Concilium definit, ut nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes inde vi abstrahere. In lege 2. C. tit. de. statuitur, quod qui extraheret aliquem ex Ecclesia, esset reus criminis læsæ Majestatis. Quia verò in extendenda vel restringenda hac immunitate Jus Civile discordat à Jure Canonico, & à Bulla relata, tanquam novissimo Jure, consentiunt omnes DD. esse attendendum Jus Canonici, nam ad forum Ecclesiasticum spectat, statuere de illis, quæ ad Ecclesiam reverentiam spectant, sicut in simili dicitur de solennitatibus requisitis ad Sacramentum Matrimonii. Illud tamen bene monet Farin. Decianus & Palao, quod quando oritur dubium circa Juris Can. intellectum, interpretatio quidem facienda sit à Jure Ecclesiastico, ita tamen, ut quantum fieri potest, concordentur Jura, & Statuta per Jus civile non corrigantur.

144. Quæritur hac occasione, an hæc immunitas sit stricta, an amplè interpretationis, ita ut, si dubitetur, an hic delinquens eâ gaudeat necne, sit interpretandum, quod gaudeat. Covarruvias vult esse strictè interpretationis, quem quidem sequitur Decianus hic lib. 6. c. 25. n. 14. & alibi. sed in suis Consiliis consil. 80. n. 19. & 22. lib. 3. tenet contrariam & communem sententiam, ac melioribus rationibus fundatam, esse amplè interpretationis. Probat I. Quia est favor Ecclesie, neque in particulari præjudicans. Sed hæc ratio non valde urget, quia præjudicat Reipublicæ, quatenus inde fit, ut sæpe delicta maneant impunita, & multi audacius delinquant. Melior est alia ratio, quia est Privilegium Juri communi inferum, & quidem utriusque Juri, cujusmodi privilegium habet naturam legis, & est amplè interpretationis. & quia proniora sunt Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum.

§. III.

Quibus locis concessum sit hoc Asyli Privilegium.

145. Dicendum I. Sufficit Ecclesiam esse auctoritate Episcopi erectam, etsi necdum consecratam. Textus expressus in cap. 9. de Immun. Eccles. [Ecclesie, in qua divina mysteria celebrantur, licet adhuc non existerit consecrata, nullo Jure privilegium immunitatis adi-

mitur, quia obsequiis divinis dedicata, nullis sunt temerariis ausibus profananda.]

146. Quæritur tamen I. An requiratur, quod actu ibi fuerint celebrata Missæ. Affirmant aliqui, inherentes cortici verborum relatorum. Sed communis, & recepta sententia est, sufficere, quod fuerit ad hæc celebranda deputata, & apta ut crebrentur; nam ex hoc denominatur jam locus Religiosus. Probat à pari. Nam Hospitale auctoritate Episcopi ad sacrum usum destinatum, ita fit locus sacer & religiosus, ut non possit profanis usibus deservire. c. 4. de relig. domib. [Inquisitioni tux taliter respondemus, quod si locus hospitalitatis ad usum & pauperum provisionem fuerit (sicut moris est) auctoritate Pontificis destinatus, cum sit religiosus, non debet mundanis usibus deputari.] Confirmatur. Quia talis Ecclesia indiget reconciliatione, si fuerit polluta. [Si Ecclesia non consecrata, cujuscumque semine fuerit, aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne divina laudis organa suspendantur. Est tamen, quam citius fieri poterit, consecranda.] ergo est locus sacer, & consequenter gaudet privilegio. Hinc merito rejicitur Sententia Covarruvias, Tuschi & Clari, qui volunt, requiri, ut Sanctissimum Eucharistia Sacramentum ibi aservetur, quod sanè nullo Juris textu probatur, sed potius, eam conditionem non requiri.

147. Quæritur II. An debeat Ecclesia esse perfectè constructa & absoluta. R. Negative, sufficit enim ædificium esse divinis obsequiis deputatum, & ædificati capium, ut notat Panormit. in cit. cap. 9. de Immun. Eccles. Unde ex communi DD. competit privilegium Ecclesie destructæ, seu loco illi, dummodo non sit destructa auctoritate Superiorum, vel sine spe reedificationis.

148. Quæritur III. An hoc privilegium competat Ecclesie tempore Interdicti, vel pollutionis. Ratio dubitandi est, quia per Interdictum & pollutionem ponitur impedimentum divinis officiis, & sepultura. R. Tamen affirmative. Ratio est, quia effectus Interdicti & Pollutionis non sunt asserendi nisi quos expressit Ecclesia: inter expressos autem non est, quod non sit asilum confugientibus: ergo &c. Itaque solum dicitur Ecclesia polluta in ordine ad officia divina, & sepultura fidelium, ad terrorem fidelium, & pro obtinenda majore loci reverentia. Confirmatur à pari. Clericus quantumvis excommunicatus, & Interdictus, non propterea privatur privilegio Immunitatis, Canonis aut fori. Ergo nec Ecclesia interdicta aut excommunicata.

149. Dicendum II. Sub nomine & spatio Ecclesie,

Ecclesie, ad hujus privilegii extensionem, non solum venire interius Ecclesie corpus seu ambitum, verum etiam totam Ecclesie fabricam, etiam Sacristiam exterius conjunctam, & alia illi conjuncta, ut Cæmeterium. Colligitur ex utroque Jure. Imprimis ex lege 3. C. de his qui ad Eccles. ubi elegans ratio redditur. [Pateant summi Dei templa timentibus, nec sola altaria & oratorium templi circumjectum, qui Ecclesias quadripartito parietum septu claudit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita, sed usque ad extremas fores Ecclesie, quas orationem gestiens populus primas ingreditur, confugientibus aram salutis esse præcipimus, ut inter templum, quod parietum descripsimus cinctu, & post loca publica, & januas primas Ecclesie, quidquid fuerit interjacens sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, arcibus, atque portibus, confugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahendos eos conetur quisquam sacrilegas manus immittere &c. Hanc autem spatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso Dei templo, & sacrosanctis altaribus, confugientium quemquam manè vel vespere cubare vel pernoctare liceat.]

Confirmatur ex lege 43. ff. de Rei Vindic. Quæ religiosis adherentis Religiosa censentur. Itaque talia denominantur religiosa à principali cui accedunt. Atqui omnis locus, qui religiosus censetur, gaudet hoc privilegio: ergo illa adjacentia & connexa etiam gaudent. Jure Canonico probatur ex can. 20. ca. 17. q. 4. [Si quis contumax vel superbus timorem Dei vel reverentiam sanctarum Ecclesiarum non habuerit, & fugientem servum suum, vel quem ipse persecutus fuerit, de attio Ecclesie vel de porticibus quolibet modo NB. Ecclesie, adherentibus, per vim abstraxerit, pro immunitate nongentos solidos Episcopo componat: & ipse publicè poenitentia justo Judicio Episcopi mulctetur.]

150. Dubitarum est I. An gauderet privilegio, qui porta Ecclesie manubrium seu ansam apprehenderet, eo quod ingredi non possit. R. Affirmative. Ita Covarr. & alii, quos sequitur Suarez c. 9. n. 8. Ratio illius est, quia licet talis non sit intra Ecclesiam, est tamen in illa magis quam si esset in cæmeterio, & ordinariè talis est intra concavum ipsius parietis Ecclesie, adeoque non minus quam si esset in superiore cubiculo.

151. Dubitarum est II. An gauderet privilegio, qui supra tegulas Ecclesie constitutus esset. Rationem dubitandi ponit idem auctor, quia talis est potius in aère, quam intra muros Ecclesie. Respondet tamen affirmative, quia favores Ecclesie sunt ampliandi: imò quia talis reverè est in Ecclesia, nam ibi dicitur aliquis pro-

priè esse, ubi pedes habet, licet à tali corpore non circumdetur: sicut corpora Sanctorum eunt in Cælo, quia pedibus calcantur superficiem convexam Cæli, licet à corpore celesti non circumdetur. Denique illa regula tenet etiam Religiosa, quibus reus adhaeret.

152. Dicendum III. Inspecto Jure scripto, & seclusa consuetudine contrariâ, si Ecclesia consistat extra Muros oppidi vel Civitatis, tunc reus qui semel ab Ecclesia receptus est, potest pro naturæ necessitate procedere ab ipsa Ecclesie fabrica ad 40. passus, (si sit Ecclesia minor) ita ut passus habeat 5. pedes, & pes 15. (vel ut alii volunt 16.) digitos. Quæ omnia melius intelliguntur ex ipsis Juribus. Itaque can. 6. ca. 17. q. 4. de passibus sic habetur. [Sicut antiquitus à SS. Patribus statutum est, statumus, ut Major Ecclesia per circuitum 40. passus habeat, capella verò, vel minores Ecclesie 30.] Quod autem spatium horum passuum & privilegium illi concessum non aliter fit intelligendum, quam de confugiente, qui jam prius Ecclesie fabricam & illi connexa in præcedentibus conclusionibus enumerata attigerit, & receptus ibi fuerit, constat ex can. 35. quem retulit §. 2. ubi etiam habetur, intra illud spatium non gaudere domos alias seu secularium, seu aliorum Clericorum inibi existentes, sed requiri, ut domus sint ipsius Ecclesie: item quod solum liceat progredi ad requisitum naturæ usum. Quod etiam illi passus tantum concedantur Ecclesiis extra muros existentibus, colligitur ex can. 21. illis verbis. Capella que sunt intra ambitum mavorum, Castellorum, non ponuntur in hac 30. passuum observatione. Et sanè in civitatibus communiter non habent Ecclesie circuitum ad Ecclesias spectantium, sed immediate accedunt plateæ publicæ, quæ utique privilegio non gaudent.

Dixi in Conclusionem. Seclusa consuetudine. Nam Covarruvias & alii apud Clarum q. 30. n. 34. testantur, hodiernis moribus hos passus non observari.

153. Dicendum IV. Immunitatis privilegio gaudent etiam Cæmeteria, dummodo sint consecrata, sive sint contigua Ecclesie sive non. Colligitur ex cap. fin. de Immunit. Eccles. ibi. in ipsis Ecclesiis, vel earum cæmeteriis. Item Hospitalia auctoritate Episcopi erecta, & cum altari ad celebrandum. Est enim locus sacer & religiosus. Et ita tenent Canonistæ apud Covarr. n. 4.

154. Dicendum V. Eodem privilegio gaudent Domus seu Conventus Religiosorum secundum omne illud quod intra eorum septa est, ut est claustrum, dormitorium, hortus, & hujusmodi. Nam licet non censentur loca fa-

era, quasi possint pollui & violari sicut Ecclesia, in aliis tamen sacra & religiosa reputantur etiam per leges Civiles. l. 3. *C. de his qui ad Eccles. supra relata*, illis verbis. [Quidquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueantur.] Et ita observatur, ut rei sapientius ad Monasteria, quam ad Ecclesias confugiant.

155. Dicendum VI. Eodem privilegio gaudet Palatium Episcopi. *can. 36. ca. 17. g. 4.* [Id constitutum observandum, quod Ecclesiastici Canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesia atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omnino non liceat.] Quem tamen violenter, meo iudicio, aliqui restringere volunt ad palatium constitutum intra 40. passus. Conceditur enim hoc privilegium intuitu dignitatis Episcopalis. Pari modo sine fundamento aliqui requirunt, ut intra palatium existat sacellum aliquod consecratum. Nam hoc non esset speciale palatio Episcopi. Ceterum Covarr. dicit paraxin forensium esse, ut non gaudeat hoc privilegio, nisi fit intra 40. passus. De hoc videatur plenius agens Thomas del Bene f. 14. ubi n. 20. negat hac immunitate gaudere palatium extra diocesim: item nec palatium Episcopi Titularis. Denique f. 16. agit de Palatiis Cardinalium, quæ ex consuetudine gaudent.

156. Et quæ hæcenus dicta sunt, ex Jure communi & scripto probantur. In aliis consuetudo, v. g. an hac immunitate gaudeat, qui confugit ad sacerdotem ferentem sacram Hostiam per plateas; nam licet jus scriptum de hoc nihil dicat, ratio tamen congruentiæ defendet consuetudinem, si quæ hujusmodi est. Imò Layman de Immunit. Eccles. c. 3. n. 4. ait, rationale fore, ut Ecclesia hujusmodi confugientem defendat, & arbitrat in præxi observatum iuri. Ad contrarium argumentum glossæ, quod privilegia non sint extendenda ultra casus expressos, respondet cum Abbate, quin imò, privilegium extendi posse ultra casus expressos, ex voluntate privilegiantis rationabiliter præsumpta.



§. IV.

Qua Persona, ratione sua conditionis vel qualitatis gaudeant hoc privilegio.

SUMMARIUM.

AN subjacens Interdictio gaudeat Ecclesia immunitate. 158.

An Excommunicatus. 159.

An hæreticus confugiens ob aliud crimen. 161.

An Infideles. 163.

An qui effrauto carcere fugit ad Ecclesiam. 164.

An qui se jurejurando obligavit ad redeundum. 164.

An servus fugiens ad Ecclesiam cum præjudicio domini. 166.

An Clericus. 167. & seqq.

Quis ob criminis atrocitatem esset degradandus. 170. & seqq.

Nobilis Moderatio conclusionis negatæ. 175.

An constitutus in Minoribus. 176.

An gaudeant Religiosi respectu sui Prelati. 177. & seqq.

157. **D**E generibus delictorum seu causis criminalibus, agitur sequenti §. nunc de certis personarum generibus, præcendendo à genere & qualitate delicti, agemus.

Dubitatur I. De eo qui Interdictio subjacet, an gaudeat hoc privilegio. Negat Felinus, quia non debet eum recipere Ecclesia, quem per interdictum excludit, & quia per ingessum peccat contra Ecclesiam, quæ illi est interdictum. Atqui peccans contra Ecclesiam non est favore Ecclesie dignus. Ergo &c. His tamen non obstantibus.

158. Dicendum est I. Talem gaudere hac immunitate. Ità communiter omnes, ob rationes contrarias. Nam per interdictum non prohibetur illi ingressus materialis, sed formalis, hoc est, ad audienda ibi divina officia. Imò etiam si ingrederetur fugiendo inter divina officia, non peccaret contra Ecclesie Interdictum, quia non est intentio Ecclesie, eum excludere in tantâ necessitate constitutum.

159. Dubitatur II. An Excommunicatus gaudeat hoc privilegio. Negat iterum Felinus,

linus, & quidem ex ratione simili, quia excommunicatus est à communione cum fidelibus exclusus, & ob contumaciam est Ecclesie rebellis. Sed iterum cum communi.

Dicendum II. Et Affirmandum est, ob rationes etiã contrarias, & maxime quia Ecclesia excommunicando nõ intendit eum ita graviter punire, cum excommunicatio sit pœna medicinalis, qualis non esset exclusio fugientis. Hæc ratio me movet non illa quam cum aliis assert Palao, nempe quod Ecclesia in illo defendendo ostendat hoc ipso majorem pietatem, nec consideret ad illius defensionem delictum & excommunicationem commissam, sed loci sanctitatem. Hæc inquam ratio nimium probat, nempe ob nullum aliud delictum fore excludendum, ut consideranti patet. Est etiam sufficiens ratio negativa: quia hic effectus excommunicationis in nullo jure legitur. Neque eo confugiens affectat aliam communionem, quàm illam, quæ in necessitate gravi constituto non negatur excommunicato.

160. Dubitatur III. An si Hæreticus, non quidem ob crimen hæresis fugiens, (nam hunc non gaudere hoc privilegio contra Judicem Ecclesiasticum infra dicitur) sed ob aliud delictum, v. g. ob homicidium, gaudeat hac immunitate. Et quidem loquendo de hæreticis toleratis, quibus accedere Ecclesie Catholicorum pro libitu licet, non videtur esse difficultas. Loquendo verò de non toleratis, valde communis & probabilis est opinio Deciani, Ambrosini, Covarr. viæ & aliorum, negantium, eos gaudere hac immunitate. Quia verò argumenta, quibus hæc opinio nititur, non convincunt, ideo affirmativam tanquam probabilem admittit Suarez, & Castro Palao tanquam probabiliorem. Ratio est, quia lex privans hæreticum hoc privilegio, est intelligenda in sensu formali & reduplicativo, quæ hæreticum, seu propter crimen hæresis. Itaque licet se exclusus quæ hæreticus, non tamen ob alia delicta, seu quæ homicidia v. g. ergo nisi fugiat quæ hæreticus, videtur a se gaudere, saltem tandiu, quamdiu Judex Ecclesiasticus eum non inquirat ut hæreticum. Cum his ergo AA.

161. Dicendum III. Hæreticum, si non ob hæresin, sed ab aliud crimen fugiat ad Ecclesiam, ex probali sententia defendendum esse contra Magistratum seculari, qui eum ob crimen hæresis capere non potest. Ratio est, quia in tali reo Hæresis non consideratur formaliter & ratione sui: ergo non magis eum impedit, quàm v. g. assassinium, si illud ante commississet, nec tamen propterea fugeret, sed ob aliud crimen privilegatum.

162. Dubitatur IV. De Infidelibus, quales sunt Gentiles, Judæi, Saraceni. In utram-

que partem tam affirmativam, (quæ tamen est potiorum) quàm negativam, sunt AA. quos refert Palao n. 1. & 6. Alii mediâ viã incedunt, cum quibus

163. Dicendum videtur IV. Si Infidelis confugiens ad Ecclesiam, habet pro se fundamentum & præsumptionem, quod ferio velit fidelis fieri, eò quod jam ante fugam, aut commissum delictum, aut conceptum Judicis timorem, aliquibus signis manifestaverit, se inclinari ad fidem amplectendam, deinde verò receptus dicat absolute se velle fieri fidelem, gaudebit hoc privilegio. Si verò careat hujusmodi præsumptione, tunc potius stat contra eum præsumptio, quod simulet se velle fieri fidelem, & ideo non gaudebit hoc privilegio. Conclusio est ex mente Suarez n. 10. & 11. Bonacina §. 1. n. 1. Palao, & plurium ab eo telorum. Prima pars probatur ex ratione. Quia qui vult Ecclesie ferio conjungi, meretur ab Ecclesia defendi, neque ullo textu probari potest, infideles ab hoc privilegio, quod præcipue in honorem Ecclesie concessum est, excludi. Secunda pars probatur ex lege l. 1. *C. qui ad Eccles. confug.* [Judæi qui rotatu aliquo vel debitis fatigati, simulant se Christianæ legi velle conjungi, ut ad Ecclesias confugiunt evadere possint crimina vel pondera debitorum, atqueant: nec ante suscipiantur, quàm debita univerfa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati.] Ex qua lege sic discitur. Leges civiles observantur, quando Canonice non contradicunt, per vulgaria a libi tradita. Atqui in præcæti puncto Canones nihil expresse statuunt de infidelibus, ut gaudeant vel non gaudeant immunitate: ergo standum est legibus civilibus. Cum ergo lex adducta præsumat, tales Infideles simulatè solùm agere, quasi velint converti, alioquin eos non excluderet: Canones quoque eos pro exclusis habebant. Ceterum, cum lex loquatur solum de Judæis, quos constat esse multo alieniores ab Ecclesia, quàm alios infideles, & sæpe simulando decipere, præsumptio hæc, quatenus est Juris & de Jure, fortassis ad solos Judæos pertinere, in aliis infidelibus facilis probatio in contrarium admittetur. Sed de hac præsumptione an sit Juris & de Jure, videri possunt Suarez, Bonac. Farinacius, negantes: Menochius, Sanchez & Palao affirmantes, & quidem conformiter illis quæ de Præsumpt. dicta sunt in tomo præced.

164. Dubitatur V. De eo qui effractis carceribus ad Ecclesiam confugit, an gaudeat hac immunitate. Negat Tolosanus in Syntagm. Juris lib. 33. c. 22. 7. *Non effra.*

Dicendum tamen V. Et affirmandum est, talem gaudere: quæ sententia obtinuit hic Ingolstadtii in casu occurrente, quo reus ex incuria custodum è carcere clapsus fugit ad Monasterium,

& a custodibus insequentibus deprehensus in cimiterio, fuit quidem reductus vi ad carcerem, sed ex mandato Judicis Ecclesiastici restitutus Ratio est, quia vel fugiendo ex carcere utitur jure suo, vel si delinquit, delictum illud non est unum ex exceptis in Bulla Greg. XIV. Idem planè dicendum de eo, qui jam captus elabitur à manibus carceratium: Item de illo, qui jam per sententiam condemnatus est: nihil enim horum admittit privilegium immunitatis.

165. Sed, quid jurejurando se reus obligasset, quod dimissus è carcere vellet sponte redire: deinde verò cum perjurio fugit ad Ecclesiam. Imprimis, si impetret relaxationem juramenti, (quod facili negotio impetratum in ait Palao) non est dubium gaudere privilegio. Ceterum, non gaudere est ratio dubitandi, quia perjurium committit in Ecclesia: ergo jam committit delictum exceptum. Ad hoc respondet Palao, ob perjurium in Ecclesia commissum ipsum non gaudere immunitate, bene tamen gaudere ob delictum, propter quod fuerat incarceratus. Posset ergo ob perjurium extrahi, (servatis servandis) & puniri propter perjurium, sed non ob crimen, ob quod eò fugit. Verum, quia perjurium continuaretur, nisi Juramentum relaxetur, relaxatio est impetranda, alioquin non video, quomodo sit restituendus, esset enim cooperatio ad perjurium. Et hoc sensu puto loqui DD. negantes talem gaudere privilegio, si fuit justè incarceratus. Decianus, Azor, & alii.

166. Dubitatur VI. Utrum hac immunitate gaudeat servus, fugiens ob delictum commissum ad Ecclesiam cum præjudicio domini, cujus servitio se subtrahit. R. Affirmative, & quidem respectu alterius Judicis quam ipsius Domini non est dubium. Respectu Domini verò eatenus gaudet, quatenus solum ad servitium præstanda extrahi potest, sed cum cautela quæ habetur in cap. 6. de Immun. Eccles. ibi. [Si verò servus fuerit, qui confugerit ad Ecclesiam: postquam de impunitate sua dominus ejus clericis Juramentum præstitit, ad servitium domini sui redire compellitur etiam invitus, alioquin à Domino poterit occupari.] Hanc constitutionem, & quod jurata cautio sufficiat, voluit DD. solum procedere, quando delictum est leve, & multò magis si est nullum: At verò si sit grave, exigunt satisfactio, vel si dominus hanc non possit aut nolit præstare, dicunt, esse cogendum, ut servum vendat. Verum, cum Pontifex sine discrimine loquatur, & ex præcedentibus illius capituli constet, quod etiam de gravioribus delictis loquatur, dum enumerat delicta excepta, non video quò fundamento asseratur hæc limitatio, nam ubi Jura non distinguant, nec nos distinguere debemus.

167. Dubitatur VII. An Clericus confugiens ad Ecclesiam, gaudeat hoc privilegio respectu sui Judicis Ecclesiastici. (Nam respectu Laici non indiget, cum sit tutus privilegio fori etiam extra Ecclesiam, vel si careat privilegio fori, tunc considerabitur ut Laicus, & per fugam gaudebit immunitate respectu Judicis secularis.) Est autem questio de fuga ob delictum non exceptum. Nam quoad excepta idem de Clerico, quod de Laico dicendum.

Affirmativam sententiam cum aliis à se citatis tuetur Farinacius q. 28. n. 7. Julius Clarus S. fin. q. 3. n. 16. Citatur etiam Covarruvias q. 20. n. 16. sed ibi potius ex aliorum opinione loquitur, ipse verò satis dubius hæret, & aliis considerandum relinquit. Decianus etiam q. 26. n. 1. in fine cum distinctione concludit: vel Clericus venit ad Ecclesiam ex alia causa, quam ut gauderet immunitate, & tunc non gaudebit immunitate, & poterit extrahi, aut ideo eò fugit, ut gauderet, & tunc gaudebit. Leges enim & canones concedentes hanc immunitatem, hoc præcipue perpendunt, ne quis fide, quam in veneratione Ecclesiæ & loci sui sacrum habet, defraudetur. Verum, hæc ratiocinatio & distinctio nihil declarat speciale in Clerico, quod non etiam procedat in laico, & ideo brevius dixisset Decianus, se subscribere Affirmativæ. Novissime hanc sententiam propugnat Fagnanus in cap. inter alia, de immun. Eccles.

Negativa sententia est communior apud Canonistas & Theologos, quos refert Palao n. 15. & plures Del Bene f. 12. n. 24. qui eandem sequitur, & ad longum probat. Cum qua

168. Dicendum VII. Probabile est, Clericos non gaudere privilegio Atyli. Probatur hæc Conclusio I. Consuetudo est optima legum interpret. atque consuetudo habet, (ut sententur etiam plerique ex Adversariis) ut Clerici non gaudeant: ergo &c. Nam, ut Gutierrez fatetur (nec negat Decianus) passim Judices Ecclesiastici delinquentes Clericos ex Ecclesia extrahunt, & vinculis ligant sine ullo scrupulo, neque ullus est, qui ad immunitatem proclamat, & illius ratione se defendere conetur. Probatur. II. Immunitas Ecclesiæ non derogat Potestati Ecclesiæ sicut derogat potestati Laicali. Ergo non impedit illam, quominus ad has penas infligendas possit extrahere, ut in alio loco decentius puniantur Clerici.

Ergo etiam Judex Ecclesiasticus in Ecclesia sibi subiecta, nec erit contra reverentiam Ecclesiæ, Clericum ab ea extrahi ab eo, cui Ecclesia subiecta est, sicut non est contra Reverentiam statui Clericali debitam, si Clericus puniatur à Judice Ecclesiastico cui subiectus est, quæ argumentatio & instantia est à Majore ad minus. Nam Clericus est vivum Dei templum 1. ad Cor. 5. ut eleganter advertit Del Bene. Probatur IV. Per Extraktionem ab Ecclesia tunc solum violatur immunitas, & committitur irreverentia in Ecclesiam, quando fit invitâ Ecclesiæ seu Prælato Ecclesiæ, quæ in hoc puncto sumuntur pro eodem. Atqui quando ab ipso Prælato extrahitur Clericus, utique non fit invitâ Prælato. ergo &c. Declaratur. Quia Prælatus habet obligationem defendendi reum eò fugientem. Atqui non habet obligationem defendendi contra seipsum tanquam legitimum Judicem, neque potest cognitio causæ, nempe an debeat hinc reo vel non debeat immunitas, ad alium spectare, quam ad Judicem Ecclesiasticum. si ergo ille extrahat, nemo est, qui possit ei legitime contradicere, vel ad alium Judicem provocare.

169. Quinta, & meo Judicio optima probatio videtur esse, quod in Bulla Greg. XIV. reducuntur omnia præcedentia Jura ad unam formam, expressè sermo est de Laicis, & nullum verbum de Clericis: atqui assumptâ unâ specie ex oppositis, censetur altera exclusâ. ibi. ut Laicis ad Ecclesiæ locaque sacra & religiose confugientibus. Item: ut Curia secularis ejusque Judices & Officiales ab Ecclesiis Laicorum aliquem delinquentem &c. item. Revocamus omnia privilegia Laicis concessa extrahendi delinquentes.

Confirmatur. Nam Ecclesia non punit reos poenâ corporis tam severâ, sicut Judex secularis, unde absque Ecclesiæ irreverentia potest suos punire in Ecclesia, etiam verberibus: ergo nihil obstat, quominus ad has penas infligendas possit extrahere, ut in alio loco decentius puniantur Clerici.

170. Dices. Posset delictum esse tam atrox, ut mereretur degradationem: an & tunc carebit immunitate degradatus, ut non extrahatur, nec tradatur Judici seculari? Bernardus Diaz docet, quod in tali casu Judex Ecclesiasticus vel non debeat extrahere, vel si extrahat, non debeat eum tradere brachio seculari. Verum, Covarruvias hanc observationem improbat: quia quando delictum est tam atrox, Ecclesia non defendit Clericum, quominus à Judice Ecclesiastico degradatus tradi possit Judici seculari. & hoc etiam approbat Suarez. n. 7. Reliquum est, ut ad contraria fundamenta respondeatur.

171. Objicit ergo Farinacius I. Canones

loquuntur de privilegio Immunitatis generaliter & sine limitatione: ergo non debet ad solos laicos stringi. R. Bullam Greg. XIV. (quam Farinacius ipse interpretatur in appendice de immun. Eccles.) loqui solum de Laicis, ut patet ex verbis relatis. Deinde, quando Canones loquuntur generaliter, intelligendi sunt respectivè ad Judicem Laicum, ut illi non liceat extrahere nec Clericum nec Laicum. Denique etiam omnes locutiones esse generales, adhuc tamen Clerici non comprehenderentur, quia deberet eorum specialis mentio fieri, cum specialis ratio subfist, cur illi debeant extrahi posse à suo Magistratu, ut probatur est: est enim regula generalis, quod locutio generalis non comprehendat illos, qui speciali notâ digni sunt, sicut nec eos, qui ob speciales causas eâ generali dispositione eximendi sunt: item nec eos, de quibus loquens deberet specificam mentionem facere, ut seipsum vellet obligare, ut notat DD. in cap. veniens. c. Quintavallis. de Juretur. cap. fin. de off. vic. in 6. C. l. in oblig. generali. ff. de pignori.

172. Objicit II. Farinacius. Videtur esse major ratio, ne Clericus extrahatur, quam Laicus: cum Ecclesiæ sit propria domus Clericorum, in propria autem domo nemini capi permittitur, aut vinculis alligari. l. plerique. 18. ff. de in jus vocando. l. nemo ff. de R. f. R. Leges adductas intelligendas esse, quod nemo possit capi in propria domo ab eo qui non est Superior illius domus. Nam quod Superior id possit, est nimis apertum, & quotidie prædicatum, alioquin cuivis sua domus asylum esset. Jam verò Episcopus est Superior Ecclesiæ ad quam Clericus fugit, unde argumentum potius retorquetur, ut bene notavit Del Bene, n. 15. Econtra quia alii Clerici non sunt Superiores Ecclesiæ, ideo de illis in can. 19. ca. 17. q. 4. sic statutum legitur. [Nullus Clericorum servum aut discipulum suum fugientem ad Ecclesiam extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Quod si fecerit, donec dignè poeniteat, à loco, cui honorem non dedit, segregetur. Itaque etiam si discipulus Clericus esset, à Magistro non possit extrahi. Posset tamen illum moderatè castigare in ipsa Ecclesia, ut cum glossa notant DD.]

173. Objicit Farinacius III. Privilegium immunitatis Ecclesiæ videtur concessum non personis, sed loco ipsius Ecclesiæ: Ergo comprehendit omnes personas, quæ ad dictam Ecclesiam confugiunt. R. Concessum esse loco Ecclesiæ in ordine ad illas extractiones, per quas inferretur Ecclesiæ irreverentia, quales sunt extractiones factæ à Laico, aut quocunque non superiore Ecclesiæ, non item quæ sunt à Superiore, cujus est illud territorium, ubi jus dicit, & subditos punire potest: ergo si delictum tale sit, quod decenter in Ecclesia puniri non potest, potest

tius est ratio concedendi extractionem, quæ sit in reverentiam loci.

174. Dices. Ergo in hoc puncto Clerici sunt peioris conditionis: quia Laici à nullo extrahi possunt. R. Si finis spectetur, & status Clericalis in genere, quem decet carere delictis huiusmodi, & major longè spes est ab his obtinendi emendationem, & raritatem delictorum, quam à laicis, potius inde evadunt melioris conditionis, quatenus hac ratione specialem stimulum habent abstinendi ab huiusmodi delictis timore futuræ extractionis: Adde, quòd non fit mirum, eos aliquà consideratione esse peioris conditionis, quia si à nullo Superiore extrahi possent, essent nimis bonæ conditionis, quia haberent quasi semper in promptu asyllum, cum plerumque intra fines Ecclesiæ commorentur, præcedentes loci immunitatem, in quem se facile reciperent commisso delicto. Et hæc dici possunt pro sententia consuetudine firmata, si quidem consuetudo viget, nec improbat.

175. Ceterum, referuntur aliqua declarationes in contrarium, ad quas tamen omnes respondet Thomas del Bene, de illis non constare authenticè. Ex quibus tamen illa videtur esse majoris considerationis, quæ emanavit à sacra Congregatione Episcoporum 17. Augusti 1618. ubi dicitur, quòd non possint Clerici ab Ecclesia extrahi, præterquam in casibus degradatione dignis, si secus fiat, restituantur Ecclesiæ. Et hæc Moderatio videtur satisfacere argumentis allatis; nam delicta minora possunt in ipsa Ecclesia puniri, ut non sit necesse ad extractionem venire.

176. Illud omnino certum est, quòd gaudeat hac immunitate Clericus in Minoribus existens, & nec habens Beneficium, nec in habitu & tonsura alicui Ecclesiæ deserviens, juxta Trid. sess. 23. c. 6. ita ut nec à seculari nec Ecclesiastico Iudice extrahi possit: talis enim reputatur ut Laicus, & ideo sicut laicus eo gaudeat in casibus non exceptis, ita etiam talis Clericus, & contra sicut non gaudeat in casibus exceptis laicus, ita nec talis Clericus.

177. Queritur VIII. An Immunitate hac gaudeant Religiosi respectu sui Prælati. In primis autem certum videtur, quòd, cum Religiosus ratione votorum servis æquiparetur, si fugeret summ Prælatum, sicut servus suum dominum, esset extrahendus & restituendus Prælato, eo modo, quo supra diximus servum restituendum esse domino, ex cap. inter alia. de Immun. Eccles. Quæstio ergo est, an in ordine ad puniendum extrahi possit ab Ecclesia. In quo puncto Auctores pro præcedente Conclusionem consequenter affirmant, & quidem à fortiori, quia alioquin propter delicta in Monasterio commissa nunquam incarcerari possent, nec contra illos

formati processus, cui repugnat quotidiana praxis & consuetudo à Pontificibus approbata, (inquit Del Bene) cum quotidie summi Pontifices ex appellatione causarum ad Urbem videant Superiores Regularium contra suos subditos processum formare, & sententiam ferte de delictis intra Monasterium commissis, & tamen id non improbat, sed potius approbat, & confirmat, & in hoc consentit etiam Diana. p. 1. r. 1. resol. 25.

178. Controversum est, an Religiosus apostata v.g. vel ob aliud delictum non exceptum fugiens ad alienam Ecclesiam, inde possit à suo Superiore extrahi. Negat Bobadilla, citans Rebuffum & Decianum, Marius Ital. Farinacius, Duardus, Barboza. Sed contrarium tenent Letziana, Peregrinus, Curtellius, quos refert & sequitur Del Bene, quia videtur eadem debere esse ratio, siue fugiat ad alienam, siue ad propriam Ecclesiam.

S. V.

An, & in quantum Immunitas hæc locum habeat in causis civilibus.

SUMMARIUM.

AN Debitor pecuniarius gaudeat hoc privilegio, si non est solvendo, fugiens ad Ecclesiam, ne incarceretur. 179. & seq.

An debitor possit extrahi ad hoc ut creditor satisfaciat serviendo. 182.

An suspectus de fuga possit extrahi, ut creditor sit securus. 183.

An debitor tributorum gaudeat immunitate. 184.

An gaudeat obligatus ad rationem. 185.

An gaudeat, qui sua fraudulenter decoxit, si fugiat, ut non puniatur tanquam decoctor. 186. & seqq.

179. Queritur I. An debitor debito pecuniario gravatus, qui non est solvendo, fugiens ad Ecclesiam ne pro debito incarceretur, gaudeat immunitate. Negat cum aliis Curtellius l. 1. q. 32. n. 26. & seqq.

Dicendum I. Ut asserendum cum recentissima RR. sententia, quam confirmavit sacra Congregatio Episcoporum pluribus declarationibus, quas allegat Del Bene dub. 11. s. 1. Probatur. Ecclesia approbat leges Civiles, quæ Ecclesiæ Immunitati à se introductæ non præjudicant, sed potius augent & extendunt, ut colligi-

tur ex Conc. Trid. sess. 25. c. 20. Atqui existat lex Civilis tribuens hanc Immunitatem debitoribus. lex 6. C. de his qui ad Eccles. confug. [Præsentis lege decernimus &c. nullos penitus, e juscuunque conditionis sint, de Sacrosanctis Ecclesiis Orthodoxæ fidei expelli aut trahi vel protracti confugas, nec pro his venerabiles Episcopos, vel Religiosos œconomos exigi, quæ ab ipsis debeantur &c.] in qua lege postmodum statuitur, quomodo contra ipsum procedendum salvæ Ecclesiæ reverentiæ.

180. Objicitur. Jura Ecclesiastica tantum concedunt Immunitatem Reis, & Delinquentibus, atqui tales non sunt nec dicuntur debitores. Ergo ad hos non debet extendi. R. Ex eo quòd concedatur delinquentibus, à fortiori censetur concedi non delinquentibus, præsertim cum versemur in materia favorabilem interpretationem recipiente. Sanè mihi valde placet opinio Genuensis c. 22. n. 1. & 9. quòd dicta Immunitas competat omnibus etiam nullo modo reis, neque debitoribus, qui ex aliquo sine ad Ecclesiam fugiunt, v.g. si quis gerens inimicitiam cum aliquo fugeret ad Ecclesiam, ut ibi lateat, & non cogetur à Magistratu in interpretationem cum adversario: talis non possit extrahi, & hoc colligitur ex can. definitio sup. relato, ubi simpliciter cavetur, ne commorantes in Ecclesia extrahi possint. Verum quidquid sit de hoc, ad objectionem aliter responderi potest cum Suarez & aliis, etiam Debitores venite nomine Reorum, quia sunt illi quibus movetur Quæstio, & intentatur actio, & quatenus ab hoc sibi timent, impelluntur ad fugam ad Ecclesiam.

182. Queritur II. An debitor possit extrahi saltem in hunc finem, ut deinde laborando serviat creditori, donec debitum compensetur. Affirmat Curtellius, ex hoc fundamento: quia privilegium immunitatis non debet præjudicare tertio: ergo sicut servus in cap. cit. jubetur restitui domino, ut ei debita servitia præstet, ita & alius debitor. Nihilominus

Dicendum II. Antecedenter ad sententiam condemnatoriam ad tales labores præstandos, non potest debitor invitatus extrahi, ad hunc finem ut creditor serviat. Neque est paritas cum servo fugitivo, cujus dominium manet penes Dominum; creditor autem antecedenter ad sententiam condemnatoriam non habet ullum Jus ad talia servitia. Alia ergo Juris remedia adhibenda sunt. Citandus erit debitor, ut vel per se vel procuratorem se defendat, quo cessante mittere creditor in bonorum possessionem, & si hæc deficiant, feietur sententia condemnatoria, causâ cognita, & tunc poterit procedi sicut cum servo.

183. Queritur III. An debitor, qui fu-

git ad Ecclesiam, ob suspicionem fugæ possit extrahi, ut creditor sit securus. Affirmant aliqui, ob paritatem sumptam à tempore ad locum. Nam talis potest etiam die festo capi, & quidem etiam à Iudice alioquin incompetentem. Ergo etiam poterit ab Ecclesia extrahi.

Dicendum tamen est III. Etiam talem gaudere immunitate. Nam timor & periculum delicti committendi non admittit immunitatem. Neque argumenti paritas procedit, alioquin sicut reus, quando est periculum in mora, potest puniri in die festo, ita etiam postea puniri in Ecclesia, quod falsum est. Ceterum, integrum est creditori, adhibere, Judicis auctoritate, custodiam ne fugiat debitor.

184. Queritur IV. An Debitor tributorum gaudeat hoc immunitatis privilegio. Negant non pauci apud Del Bene. 5. & fundant se in Novella 17. c. 5. §. 1. [Publicorum vero tributorum exactiones etiam intra templa decenter fieri procurabis.] Nihilominus

Dicendum IV. Etiam hoc gaudere immunitate. Nam Canonem in hac materia corrigunt Jus Civile, in quantum restringunt immunitatem, etiam canonice, in quantum eam extendunt. Quamvis, ut verum fatear, non videam, quomodo ex adductis verbis Novellæ probetur facultas extrahendi: cum solum dicatur, quòd exactio tributorum possit fieri decenter in templo. Alia tamen in illo capite statuuntur in præjudicium immunitatis Ecclesiæ, de quibus postea.

185. Queritur V. An gaudeat obligatus ad rationem. Negat iterum Curtellius, fundans se in can. uxor. ca. 17. q. 4. Sed

Dicendum est V. Etiam hunc gaudere, quia Canonem nullibi excipiunt, & etiam si antiqui canonem excepissent, Constitutio Gregoriana non excipit. Verum, Canon adductus à Curtella non est ad rem, loquitur enim de Servo, qui jubetur etiam in cap. inter alia. restitui domino caventi, ut sup. relato. Itaque Canon adductus de servo ad Ecclesiam recepto, & se jactante quòd bonam causam haberet, sic statuitur. [Egredi sub hac conditione precipimus, ut si actus suos fideliter & rationabiliter allegaret, nihil circa eum prolixo aspectu fieri, dumque pateretur. Alioquin si contra fidem & utilitatem Dominicam NB. venisset probaretur, ipse sibi imputaret, atque domini ordinationi congruè subjaceret.]

186. Queritur VI. An gaudeant immunitate illi, qui sua fraudulenter decoxerunt, & ideo fugiunt ad Ecclesiam, ne possint tanquam decoctores puniri legibus in tales decoctores, & Mercatores fallitos seu Bancarotos (ut vocantur) constituitis. Communis multorum Opinio

nio est, non solum Canonistarum, sed etiam Theologorum (inter quos est Fagundes de preceptis Ecclesie præc. 2. lib. 4. c. 4. n. 53. & videtur consentire (quamvis se remittit ad consuetudinem, & potius ex aliorum opinione loquatur) Adamus Tannerus 22. disp. 5. q. 8. dub. 1. n. 17.) tales non gaudere. Eandem sententiam secutus est Farinacius q. 28. n. 53. sed tunc nondum videbat Bullam Greg. XIV. nam eam perpensam postea aliter sensit, & contrarium tanquam indubitatum asseruit in append. n. 64. c. 3. Contra hos

Dicendum est VI. Attentam Constitutione Gregorianam tales decoctores fraudulentum gaudere hac immunitate. Ita tenent RR. Canonistæ communissimè, & Fagnanus in cap. Inter alia n. 58. ait rem esse expeditam, quibus accedit ex Theol. Bonacina & Palao, & meritò. Nam expresse derogatur in dicta constit. omnibus privilegiis & indulgitiis aliquando concessis extrahendis, & quidem nominatim fraudulentos decoctores, neque postea in ponendis casibus exceptis ullam amplius mentionem facit decoctorum.

187. Obijciunt I. Bullam Pii. V. ubi tales comparantur publicis latronibus. Bullam Greg. XIV. esse posteriorem. & præcedentia Jura ad uniformitatem reduxisse. Præterquam, quod illa equiparatio non sufficiat, ut propterea ex illa inferatur privatio immunitatis, nam regula est, quod pœna uni certo delicto statuta, non sit extendenda ad alia similia & æque gravia, ut patebit in progressu.

188. Obijciunt II. quasdam litteras scriptas ad Archiepiscopum Bononiensem & Nuntium Neapolitanum ex mandato Clementis VIII. quibus mandatur Superioribus Regularium, ne condemnatos, fallitos, bannitos, fures, decoctores, debitores, aliosque similes, in suis Conventibus recipient, in iuncta recipientibus pœnam. R. 1. Has litteras non habere vim aut formam legis. R. 2. Clementem VIII. non cogitasse cumulare aut multiplicare casus exceptos ultra Bullam Greg. XIV. sed solum prohibere receptionem talium, adeoque iussisse ut repellantur, non tamen iussisse, ut iudicibus consignentur, ut exponit Farinac. lo. cit. Deinde Diana p. 6. tit. 1. resol. 17. refert, quod Sacra Episcoporum Congregatio decreverit, quod debitor fraudulentus ad Ecclesiam cum bonis confugiens, non sit tibi multo tempore tolerandus, sed ab Ecclesia expellendus, item quod decoctus non debeat res & bona in præiudicium creditorum ad Ecclesiam deferre, sed illa debeant iudici seculari consignari, ut cognoscendo adjudicet, cui de Jure debentur. Plures declarationes, vel potius mandata ejusdem Congreg. de hujusmodi bono loco non immuni consignandis, refert

Del Bene dub. 11. in fine.

§. VI.

De Octo Delictis in Bulla Greg. XIV. exceptis, & a Privilegio Immunitatis exclusis.

SUMMARIUM.

Enumerantur octo genera delinquentium non gaudentium immunitate. 189.

Quis dicatur hic Latro publicus. 199. & seqq.

An noxius depopulator agrorum, ut privetur immunitate, debeat publicè deliquisse. 193.

An Diurnus depopulator immunitate privetur. 194.

Quomodo differat Grassator viarum à Latrone publico. 195.

An Grassator viarum fuerit etiam antiquo jure privatus immunitate. 196.

Quidsi aggregatur in viis privatis non frequentatis. eod.

Quis hic dicatur propriè Mutilator. 197.

An Mutilatio & Homicidium sint tantum exempli causa allata in Bulla. 198.

Quæ fuerit ratio specialiter excipiendi hoc delictum. 200.

An exceptio sit solum intelligenda pro illa Ecclesia, in qua commissum delictum. 201.

An hoc delictum debeat fuisse commissum spe immunitatis. 202. & seqq.

An gaudeat immunitate, qui graviter, sed absque noce aut mutilatione vulnerat. 204.

An fugiens cum armis prohibitis sub pœna læsæ Majestatis, privetur immunitate. 206.

An jaculans ex Ecclesia & occidens existentem extra, & contra privetur immunitate. 207. & seqq.

An privetur, mandans aliquem occidi in Ecclesia cum effectu. 210.

An privetur, vi aut dolo extractum occidens, & fugiens ad Ecclesiam. 212.

An, qui occidit in Ecclesia, & fugit ad eam ob aliud delictum, etiam ratione hujus privetur. 213.

Quis hic dicatur Homicida proditorius. 214. & seqq.

An privetur immunitate, qui proditorie occidit infidelem. 217.

An privetur occidens in duello. 218.

An privetur occidens de industria, sed non per insidias. 219.

An privetur, qui ex insidiis & proditorie vulneravit animo occidendi, sed mors non est secuta. 220.

Assas-

Assasini quinam olim tales dicti, & qui hodie. 221.

An res Assassino promissa, ut promittens privetur immunitate, debeat esse estimabilis. 222.

An debeat res promissa actu esse exhibitæ. 223.

An sufficeret promissa dandi filiam in uxorem. 224.

An esset Assassinium occisio spe aliquod consequendi. eod.

An privetur immunitate, qui conductus occidit infidelem. 225.

An privetur occidens (ad hoc conductus) suum inimicum, qui etiam & mandans est. 226.

An privetur occidens aliquem, cum solum fuerit conductus ad vulnerandum. 227.

An etiam privetur Mandans, quamvis mors non sit secuta. 228.

An & Recipientes, defendentes, occultantes. 229.

An privetur etiam ille, qui ex urgentibus indiciis de heresi suspectus est. 230.

Quando censetur delictum in ipsam Principis personam commissum. 231.

Qualiter offendens debeat esse subditus Principis offensi. 232.

Quale esset crimen læsæ Majestatis: si quis Consillarium Principis vel Magistratum occideret. 233.

Quidsi offendatur Sacra Principis, aut falsè moneta, aut traheatur de alio Principe substituendo. 234.

189. **E**numerantur octo genera delinquentium, ab hoc privilegio exclusorum,

illis verbis. [Si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggregantur, vel depopulatores agrorum, quive homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs earumque cæmeterijs committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut Assassini vel Hæretici, aut læsæ Majestatis rei in personam ipsius Principis, Immunitas Ecclesiastica non suffragetur.] Nunc ordine declaranda.

190. **Q**UÆRITUR. Quid requiratur, ut quis dicatur Latro publicus, ut hac immunitate privetur. R. I. Latro dicitur qui violentè alios deprædat. Latro publicus verò, qui vel deprædat palam seu publicè, vel per insidias in via publica, vel etiam in mari aut flumine, (ut Pirata) vel per vim publicè in domibus privatorum.

R. II. Ut immunitate privetur, non sufficit suspicio aut dubitatio, vel etiam quæcumque fama & vulgi opinio, vel assertio illius qui petit extrahi, sed necesse est, ut sit notorium,

seu notorietate Juris, seu facti, & parte citatâ sit facta informatio, & lata sententia declaratoria.

191. R. III. Ut privetur immunitate, requiritur, ut non semel aut bis, sed sæpius deprædaverit. Ita Farinacius, Del Bene, Palao & alii, allegantes Decianum c. 28. n. 2. cujus propria verba adscribam. [Neque tamen putarim, inquit, publicum latronem cum dici, qui palam & vulgò grassatur, & deprædat, quia imò latrones non palam, & publicè, sed secretò & per insidias prædantur, ideo à latendo dicti: sed publicum latronem appellatum autumo, quod in locis publicis, id est, viis publicis & itineribus deprædat: nam viarum alia publicæ, alia private: & publicæ sunt, quæ in communi & publico solo sunt; private, quæ in privato, ut habetur in l. 2. §. 22. ff. ne quid in loco pub. Viarum quædam publicæ sunt, quædam private, quædam vicinales. Publicæ vias dicimus, quæ Græci basilicas, id est regias, nostri pratorias, alii consulares vias appellant. Private sunt, quæ agrarias quidam dicunt. Vicinales sunt viæ, quæ in vicis sunt, vel quæ in vicis ducunt &c. si ex collectione privatorum reficiantur. Atque ideo existimari Publicum latronem dici, tum respectu loci publici in quo deprædat, tum respectu frequentatiæ, propter quam jam omnibus & publicè notus ac pro latrone habitus est: quod si quis semel vel bis aliquem in via privata solliasset, non putarem sub nomine latronis publici comprehendere: hoc enim, quod privetur hac immunitate, videtur inducitur ab atrocitate criminis, quo multis nocere potest, cum vias frequentatas obsideat, quodsi oblideret vias non frequentatas, non ita atrox videretur delictum, cum in culpa sit is, qui per intratas vias vadit. Quod requiratur, vias quas obsident, esse frequentatas, videtur optime probare textus in l. 1. Quando licet unicuique sine iudice se vindicare. ibi. aut itinera frequentata insidijs aggressoribus obfederit. Quod ad constituendum publicum latronem requiratur, quod non semel tantum aut bis, sed pluries sit solitus latrocinari, tenet Ang. dicens, quod hoc nomen publicus latro, est nomen Juris non facti, &c.] Ita Decianus.

192. Ipse tamen Decianus paulò post agnoscit, se nimis strictè locutum esse in prioribus verbis ab initio. Extendendum, inquit, erit prædicta limitatio, ut latro publicus non sit catus in Ecclesia, sive in viis publicis, cum violentiâ solitus sit deprædari, viæ etiam in domibus privatorum, modò id cum violentia faciat, (alioquin esset simplex furum) quod probatur auth. Sed novo Jure. C. de Serv. fugit. ibi. [Qui autem violentè aggregantur, aut cum armis, aut sine armis, aut in domibus, aut in itineribus, aut in mari, pœnis legalibus subficiantur.] Et ratio est, quia atrocissimum est, aliquem in pro-

Christ. Flam. de Iudicijs To. II.

F 2

præ